

sos Provinciales Regni Accolas enatis Gravaminibus deputata, Nos Ipsae etiam ad Effectuationem sancitae eatenus Novellaris Legis, Articuli quippe Quadragesimi noni Anni Millesimi Septingentesimi quadragesimi primi contenderimus; Investigatis proinde (quemadmodum posterius benigne disposuimus) recentioribus, quae a tempore felicitis Gubernij nostri intercesserunt, Gravaminibus, Relationeque super hac dictae Commissionis Operatione isthuc submissa, benignam non modo fine impertiendae laesis Partibus realis omnino per ipsam praefatam Commissionem satisfactionis Resolutionem nostram Regiam mox elargiemur, verum et de assumendis, disquirendis et componendis demum Antiquioribus etiam hujuscemodi Gravaminibus fideles dictorum Regnorum Nostrorum Status et Ordines a benignissima Resolutione nostra praestolabuntur. Tandem in eo etiam praelibatos fideles suprafactorum Regnorum nostrorum Status et Ordines clementer hisce assecuramus: quod in Collatione Officiorum Supremi Comititis Comitatum Zagrabiensis et Crisiensis ipsius Nobilitaris Status, adeoque etiam Vice-Bani pro tempore constituendi, quemadmodum hactenus, ita deinceps quoque ad tenorem etiam Articuli Centesimi vigesimi tertij Anni Millesimi septingentesimi decimi quinti, condignam atque peculiarem habiturae sumus Reflexionem. Quae omnia ad perpetuam Jurium ac Praerogativarum memoratorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Regnorum nostrorum, Banalisque Authoritatis Indemnitatem ac Securitatem, perpetuo valitura, maturo deliberatoque Consilio, ex plenitudine Caesareo-Regiae Postestatis nostrae, atque in signum peculiaris Affectus, quo fideles antelatorum Regnorum nostrorum Status et Ordines constanter complectimur, iisdem benignissime hisce impertimur. Et quemadmodum de avita eaque intemerata Fidelitatum Vestrarum Fide, homagiali Devotione, ac aeterni Obsequii Vinculo, quo Eaedem Nobis Augustaeque Domui nostrae subditali Lege obstrictae sunt, amodo deinceps quoque omni Tempore et occasione praeclare contestando minime dubitamus: Ita clementer simul ac Firmissime confidimus, eosdem fideles Status et Ordines ad perpetuam regulatae hujus Militiae Banalis Regni Confinariae Consistentiam, quae ab exacta fixorum eidem Militiae obvenientium Stipendiorum Persolutione plurimum dependet, atque hinc stabiendum eatenus sufficientem Fundum, qui utique assumptis praemissis omnibus ex Benignitate quoque nostra Caesareo-Regia accedentibus, congruus esse poterit, ulterius quoque omnem necessariam operam Studioso, quo iidem coeperunt, Conatu, collocaturos. In quorum Fidem et Testimonium Literas has Manu propria subscripsimus, et Sigilli nostri Regii appensione muniri fecimus. Datum per manus Fidelis nostri Nobis sincere dilecti Spectabilis ac Magnifici Comititis Leopoldi de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, nostri Actualis Intimi Consiliarij, et per antelatum Regnum nostrum Hungariae Aulae Nostrae Cancellarij, nec non Agazonum Regalium Magistri, in Archiducali Civitate nostra Vienna Austriae, die decima sexta Mensis Januarij, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo, Regnorum nostrorum Hungariae Bohemiae et reliquorum Anno Decimo.

Maria Theresia m. p.

Comes Leopoldus de Nadasd m. p.

Franciscus Koller m. p.

*(Sigillum magnum in aurea zona pendens.)*

Orig. perg. in Arch. Reg. Croat. in cista Privilegiorum Regni.